

et idolorum cultores virginitas in magno pretio haberetur; apud fideles vero in veteri lege hunc honorem constanti castitati, ut ex omnibus tribubus solum tribum Levi sibi eligeret, in quo maxime castimoniam effulgere oportebat, eo quod divino famulatu Levitae essent mancipati. Quod, ut magis innotescat, observandum est, quod ex duodecim lapidibus, quibus rationale suum sacerdotis insenserat Deus exornari, tertius erat smaragdus, in quo, ut tradunt d. Hieronymus (to. 3. lib. de rest. sacerdo.) et Abulensis (super cap. 18. Exodi q. 12), sculptum erat nomen tribus Levi, qui fuit tertius filius Iacob, ut iidem doctores docent: per quod sine dubio voluit Deus significare, eos, quos sibi maiori vinculo copulabat, castitate, ac animi puritate conspicuos valde debere: smaragdus enim, ut refert Valerianus (li. 4. de smarag.) castitatis symbolum propterea semper extitit, quia, si quis illum secum deferens, veneri vaelet, continuo rompitur. Est etiam ad idem observatione dignum, quod Levi tria significat, ad illustrandum praesens argumentum non parum accommodata: primo significat ideam quod assumptus, seu electus, ut notavit d. Gregorius (super Ezech.). Sane si rem alius contempleretur, pretiosiora pigora, quae sibi Deus assumpsit, et ex omnibus elegit, virginitate praecelluerunt, ut his verbis acute adnotavit magnus pater Hieronymus: *In omni hominum genere optimus virgo fuit, inter homines optimus Christus, hic virgo fuit: inter mulieres, optima Maria, haec virgo fuit: inter Apostolos Paulus per excellentiam Apostolus dicitur, et virgo hic fuit: inter martyres Stephanus, et Laurentius, et hic virgines fuerunt. Secundo significat Levi, Assistentem Deo, scilicet per cogitationem, iuxta illud Pauli (1. Cor. 7): *Mulier in nuptia, et virgo cogitat, quae Domini sunt: cum enim virgines sint similes angelis, non cessant clamare quotidie una voce dicentes (Isa. 6): Sanctus, sanctus, sanctus: cuius saepe cantus suavissimus concentus, dulcissimaque armonia angelicos spiritus adeo exhilarat, ut ad illum auscullandum cum summo gaudio accedant, iuxta illud Sponsi (Cant. 8): *Quae habitas in hortis, amici auscullant te. Quis ergo non miretur, tantam gloriosam esse excellentiam, ut angeli dulcissimos coelestis patriae hymnos, ac suavissimos cantus audire assuefacti, virginum melodiam divinas laudes personantium attentis auribus auscullare de coelo veniant: *Quae habitas in hortis, amici auscullant te. Tertio Levi, ut tradit d. Ambrosius, idem denotat, quod mores: adeo quidem Deus sibi complaceat in virginitas, ut quasi zelotypiae amore ardeat, velit virgines totas esse suas, totaliterque ab eo possideri, ut verba Iosue (c. 4) salis indicant: *Non habebit Levi partem, nec possessionem cum fratribus suis, quia ipse Dominus possessio eius; unde quando iussit Deus populo suo, ut legitimus (in lib. Num. 31) quasdam civitates cum civibus suis penitus evertere, praecipit tamen, ne virgines, upote quae ad possessionem eius speciali ratione pertinerent, interimerentur: *Puellas tantum virgines servate vobis: ecce, cum in illis civitatibus tanta esset statuum diversitas, solis virginitas, tam******

quam rei sibi sacrae, hanc immunitatem Deus servari voluit, ut nemo militum illas laedere, aut confingere auderet, sed sibi soli reservarentur: *tantum virgines servate. Atque hinc colligo rationem, ob quam inter omnes coelestias soli virgines deferat scriptum in frontibus nomen Iesus, iuxta illud (Apo. 14): *Habebant nomen eius scriptum in frontibus suis: eam, ni fallor, opinor esse, quod speciali ratione praeter ceteris aliis beatis ad Christum pertinent, tamquam peculiaris eius possessio. Unde quemadmodum mancipiorum domini solent in coram maxillis, vel mento, et pastores in ovium vel leribus, signum aliquod imprimere, ut ad quem pertinent, dignoscantur; Ita Deus virginitas, quia specialissimo obsequio genere se ipsas ei manciparunt, specialissimo etiam sacri nominis Iesu notamine frontes earum praee omnibus aliis beatis condecorari voluit. Illud etiam adnotarim, quod ad virginitatis honorem non parum conducit, Deum olim conquestum fuisse de populo suo, quod mortias virgines non delevisset, variisque encomiorum honoribus mortem earum non conhonestasset: *Virgines eorum, inquit David (Psal. 77), non sunt lamentatae: ubi Hebraei legunt: *Virgines eorum non sunt laudatae: ecce volebat Deus, ut virgines, instar magnorum Principum, tam in vita quam post mortem non solum lacrymis, et gemilibus, sed et variis praecentis, ac laudibus esse populus prosequeretur, quae se totas Deo consecraverant. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.****

HOMILIA VI.

Virtutes variae, quibus b. Virgo in templo effulsit, virginitas imitandae proponuntur; praesertim vero clausura; verecundia, otii vitandae cura, quae sunt velut propugnacula virginitatis, cuius custodiae mira difficultas ex Patrum doctrina ostenditur; variaeque ad illam superandam remedia traduntur.

Quam sancta, quam sincera, quam perfecta, quam coelestis, quam seraphica, quam omnibus numeris absoluta Mariana in templo vivendi ratio fuerit, non aliunde probare audeo, quam ex his, quae de illa ibidem commemorante priscorum Patrum antiquitas contestata nobis reliquit. Ioannes Chrysostomus (in Domini hypopant.) ait: *Beata Maria ultra omnem humanae naturae modum, modestiam, atque temperantiam excoluit; ac ob id universorum Dominum in utero gestare promeruit. Quod si qua virgo alia maiori modestia, vel ampliori puritate, aut maturitate praeter hanc ornata extitisset, illam sibi Dominus praer hae ipsa omnino in habitaculum delegisset: idem etiam Chrysostomus (in c. 1. Matth.) inquit: *Maria non levis, non cocosa, non cantatrix, non turpium verborum amatric, sicut solent plerumque puellae, quae libenter talia aut loquantur, aut audiunt; non super virum oculos suos extulit, nec infanti aspectu: Ioan. Damascenus (li. 4. fd. c. 15): *Deinde***

in domo Domini plantata, et impinguate spiritu, veluti olivae fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est, ab omni saeculari vita, et carnali concupiscentia procul mentem sequestrans: et sic virginem animam cum corpore conservans, ut decubat eam, quae in sinu Deum susceptura esset: sancta enim existens in sanctis requiescit: sic igitur sanctificationem omnem exeret, et templum sanctum, et admirabile Altissimi Dei digne demonstratur: Epiphanius presbyter Constantinopolitanus (in vita Virg.): *Erat docilis, et animae doctrinam, et non solum in sacris literis, sed etiam in lana, et lino serio, et bysso laborabat; erat praeterea in sapientia et intelligentia super omnes illius saeculi adolescentulas, cunctis admirationi, quae, et vere consuevit ea, quorum usus erat in templo sacerdotibus: D. Anselmus (opus de form. et mor. bo. Mar.): *Mos tuus erat modice loquela, expeditae obedientiae, mundaee proximalionis, sine audacia, sine turbatione, sine ira, benigne salutans, eloquentiam eius homines mirabantur; et paucis interiectis, subtili: Perseverans in orationibus, serens panum proprii coloris, lectioni, ieiuniis, et labori manuum, et omni bonae virtuosae operationi se dederat. Eximias haec Virginitas virtutes Ambrosius (lib. de virg.) contemplans, ad Virginitas imitationem nos invitans, ait: *Sit vobis languin in imagine descripta virginitas Mariae, et eius vita, in qua, velut in speculo, refugit species castitatis, atque forma virtutis. Hinc sumatis, licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria sunt expressa probatitas, quae quid corrigere, et quid fugere, quid tenere debeat ostendunt; haec S. Ambrosius: quibus non dissimilia scripsit d. Hieronymus (epist. ad Paul. et Eustoch.) in haec verba: *Si placeat vobis, charissimae, talis, ac tanta Virgo placeat, et opus virtutis eius, cuius vita omnium disciplina est, cuius mores instituta sunt Ecclesiarum. Et quidem Ethnici philosophi putarunt magni momenti esse, praeclearam alicuius viri vivendi rationem attendere, ut ad eius normam mores quisque suos efformaret; unde Terentius (in Adelphis) dixit: *Inspicere tanquam in speculo vitam hominum iubeo, atque ex aliis sumere tibi exemplum: et Seneca ad Lucillum scripsit: *Elige tibi, cuius tibi placeat vita, quia opus est aliquo, ad quem mores nostri se erigant: ac tandem Calo inter sua documenta hoc potissimum reliquit:******

Multorem exemplis discere, quae facta sequaris. Quae fugias: nobis vita est aliena magistra.

Ex unanimi igitur Patrum, quos retuli, doctrina tria praecipue virginitas imitanda proponuntur ad virginitatis earum custodiam apprime necessaria. Primam clausura, et a virorum consortio omnimoda sequestratio; ut e nimis eleganter dixit d. Hieronymus (epist. ad Eustoch.): *Raro cogitatur in mente, quod exteriores sensus non nutriunt: haec enim sunt fenestras, haec est, quae nisi clausa fuerit, morti patet introitus, et nil nisi funesto ingreditur: in silentio autem, clausura, ac quiete cogitationis perversae vitantur: idem etiam Hieronymus (epist. 22. c. 11) eidem Eustochio scribens, dicit: *Cave, ne domum exeat, et ne velis videre**

alias regionis alienae, quamvis fratres habeas patriarchas, et Israel parente laeteris: nam Diana domum egressa corrumpitur. Nolo igitur, te sponsum querere per plateas, nolo te circumire angulos civitatis. Zelotypus est Iesus, non vult ab aliis videri faciem tuam: foris vagetur virgines stultae, et intrinsecus esto cum Sponso: et (in epist. 3. ad Gaudent.) ait: *Ne liberius procedat ad publicum, nec semper ecclesiarum quae rat celebratur: in cubiculo suo totas delicias habeat; haec ille: Ambrosius ad idem (sup. Luc.) ait: *Discite virgines scire non circumcursare per alienas aedes, non donorari in plateis: et (in exhort. ad virg.) ait: *Nullus sit sine matre progressus, quae sit anxia tui custos pudoris; ipsa quoque ad ecclesiam progressu ravior sit adolescentula. Sacra Scriptura insignem illam foeminae Iudith clausuram amantissimum proponit, dicens (Judith. 8): *In superioribus domus suae fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur: similem clausuram observasse arboretur Saram, ut non observare colligiter ex libro Genesis; cum enim tres angeli Abraham invisere venissent, non invenerunt Saram, quia in penetralibus domus latebat, nec inde exivit, quae ab angelis accessit fuit dicentibus (Gen. 18): *Ubi est Sara uxor tua? Verum non solum fideles, sed et Ethnici homines magni momenti esse putarunt foeminarum clausuram ad pudicitiam conservandam: ut enim refert Tiraquellus (in l. 1. connubiali), Plutarchus testatur, mors fuisse apud Boetios, ut coniux ad nudas curru duceretur, et cum in domum reduebat, continuo aderant, qui currum comburebant, significare volentes, iam non ultra opus sibi esse curru, cum perpetuo domi consistere deberet. Idem etiam Plutarchus commemorat, Phydiam, celebrem sculptorem, Veneris pulchram statuam affabrefecisse, illamque super testudinem quamdam posuisse; tum, ut lenio illo gressu, quo illa graditur, significaret, foeminam debere deambulatricem non esse; tum quia, sicut testudo non aliter de uno loco ad alium movetur, nisi intra domunculam suam clausam, et eandem super se deferens; ita foemina, et maxime virgo, tam acre ferre debet domus suae clausura egredi, et foris incedere, quam si totam domum molestem super humeros laetura esset. Tandem d. Paulus (ad Tit. 2) hortatur, uxores clausuram domus suae servare; nam ubi nostra Vulgata legit, ut sint domus curam habentes, originale hebraicum habet, ut sint custodes domus: atque haec arbitor tendere verba Salomonis, dum de muliere prudente ait (Prov. 31): *Consideravit semitas domus suae, et panem otiosa non comedit. Primo ait, illam non per alias vias circumcursare, nec per alias pervagari civitatis plateas, quam per semitas domus suae. Secundo ait, quod et nostro argumento deservit, otiositatis inimicem esse: *Et panem otiosa non comedit: hoc enim secundum est propugnaculum virginitatis: exercitiam autem, quo olium vitabat, adnotavit etiam Salomon (ibid.): *Et digiti eius apprehenderunt fenum. Spiritus sanctus etiam Tobiae uxorem laudat, quod otii inimica textrinae arti vacaret. Hinc Hieronymus ad Demetriadem honestissi-********

mam virginem scribens, inquit: *Habelo lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducio*; et in epistola ad Laetam de institutione filiae ait: *Disce lanam facere, ponere in gremio calathum, rotare fustum. Quid plura? ipsi Romani solo lumine naturae illustrati, ut auctor est Plinius (l. 8. c. 48), cum sponsam ad nubendum ducerent, manu illa fustum deferebat, ut hoc symbolico ritu adverteret, non otio languere, sed labore manuum suarum illud continuo vitare debere. Alii vero Gentiles, ut significarent, longe a virginibus relegandum esse otium, si castitatis thesaurum custodire vellent, virginitalatem in hunc modum describere: perbellam quamdam, ac venustam puellam depingebant, capite coelum tangentem, cuius dextera salicis ramum ferebat, sinistra vero examen apum confinebat. Salicis ramus symbolum erat castitatis, ut tradit d. Hieronymus (*sup. cap. 4. Zach.*), quia, ut ipse ex medicorum sententia testatur, flos eius aquae immixtus, et ebibitus, carnis petulantiam composit, ac veneris ardorem mitigat; ad custodiendam autem hanc castitatem per salicem significatam duo praesentissima remedia ei exhibebant; primum, ut capite tangeret coelum, hoc est, *quae sursum sunt, speret, non quae super terram*; sed corde, et animo coeleste auxilium semper imploraret, quasi praecederent illi, quod Spiritus sanctus ait: *Quoniam aliter non possem esse continens, nisi Dominus dederit*. Alterum remedium fuit, ut otiositatem diligerent vitare: id enim sibi volebat examen apum, quas constat adeo laboriosas esse, et otii inimicas, ut longissima etiam itinera conficiant ad debitam favimateriam quaerendam; quae semel habita, nulli parenti labori, quousque et mel, et ceram in humanos usus adeo necessarias elaboraverint. Non solum autem otiositas virginibus, sed cuiuscumque status et conditionis viris, ac foeminas nocua esse perhibetur Ecclesiastico (c. 33.) dicente: *Servo malevolo tortura, et compedes, mille tam in operationem ne vacet, multam enim militiam docuit otiositas*: equidem cum Deus creavit hominem, noluit cum esse otiosum in paradiso, ut verba Moysis testantur, sub culcore illius eum constituit (*Gen. 1*): *Tulit Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum*: unde quidam imperatores Romani quasi primum parentem imitantes, ut refertur Cicero (*lib. de senect.*) et Fulgostius (*tit. de otio hon.*), hortos habebant, quos propriis manibus ad otium vitandum colebant, quod multorum scelernm origo esse solet, ut observavit Ovidius (*lib. 1. de rem. am.*), dicens:*

Quaritur Aegistibus, quare sit factus adulter,
In promptu censa est, desidiosus erant.
Otia si follas, periere Cupidinis arcus.

D. autem Bernardus (*de otio vitando*) in universale loquens dicit: *Omnium tentationum, et cogitationum malarum, et inutilium sentina est otium*: atque hinc est apud Athenienses hanc fuisse legem stabilitam, ut refert Laertius (*lib. 5. c. 2.*), ut otiosi homines haberentur tamquam rei omnium scelernm, de quibus accusarentur, ita ut nulla alia desideraretur probatio ad eorum poenitentiam.

Ad haec, inter alia non pauca, quae sacra Virgo in templo degens, virginibus imitanda proposuit, modestia etiam fuit, et verecundia, quibus divino Sponso summopere placuit. Memini Pamphilum poetam inepte satis dixisse, pudorem filium esse rusticitatis:

Nam venit a sola rusticitate pudor.

Sed falsa cum sua sefellit opinio: nam, ut sapienter Valerius Maximus (*de verec.*) dixit: *Verecundia parens est omnis honesti, magistra innocentiae, chara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore favorabilem proferens vulgum*: unde Ecclesiasticus (*lib. 26*): inquit: *Gratia super gratiam, mulier sancta, et pudorata*: immo de Aristotelis filia fertur, quod interrogata, quisnam ex coloribus magis ei arderet, respondit: *Optimus color est, quem ingenium gignit pudor*: videturque sententiam hanc didicisse a parente suo Aristotele (*in Politicis*), dicente: *Plus homines, erubescunt rei amatae, quam alia eius perfectione capiuntur*; praecipue tamen apprimè necessaria est adolescentibus tam viris, quam foeminis, ut eleganter docuit d. Ambrosius (*lib. 1. de offic.*) in haec verba: *In adolescentibus verecundia, velut quaedam naturae dos commendatur, et est prima disciplina; haec in ipso corporis motu, gestu, et ingressu tendenda est, habitus enim mentis cernitur in statu corporis, et vox quaedam est animi corporis gestus, vel motus: in ipso quoque corporis decore verecundia plus eminet. Atque hinc est, quod ipse d. Ambrosius (*lib. 3. de virg.*) scilicet adnotavit, insignem verecundiam, quam praestulit Rebecca, quando, ut legitur (*Gen. 24.*) ducta ad nuptias, et admonita, quod viri a longe videbatur, erat Isaac, futurus eius maritus, confeslim nulla interposita mora velo vultum suum cooperuit; manifestum sane suae pudicitiae argumentum: nam, quae maritio proxime futuro prae verecundia faciem velabat, longe aberat ab illarum levitate, quae videre, et ab omnibus videri desiderant. De Abimelech narrat sacra Scriptura, quod eximiam Sarae pulchritudinem admiratus, ne forsitan alius, quod ipsi contigerat, accidisset, qui amoris illius flammis exarsit, mille argenteos ei donavit, ut velum emeret, quo verecundiam suam ostendens, miram vultus sui venustatem, ac pulchritudinem conlegerat: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt*: ita hunc locum interpretantur Tertullianus (*lib. de veland. virg.*), Lipomanus (*in catena super Gen. cap. 20*), Marginalis Scholiasies (*in Biblia Sancti Paolini*). Ceterum non solum moralis disciplina, sed et natura ipsa, si non sermone, saltem ipso opere, verecundiam virginibus libentissime amplectendam fore non obscure docuit: nam, ut auctor est Plinius (*lib. 7. c. 17.*) cadavera virorum visa sunt super aquam natae facie rursus respiciente; foeminarum vero, non nisi vultu versus aquam converso: quo natura ipsa verecundiam foeminas valde decere aperitissime monstravit. Atque hinc patet imprudentiam quamdam virginum dementia, quae virginum pudoris immemores, cum earum levitas, et immodestia cum-*

etis patula reprehenditur, ipsae insipienter respondent: nihil pendimus hominum dicta: o stultam rationem! cuius stultitiam perspicue satis damnet illud, quod sacra Numerorum (c. 14) historia commemorat: cum enim Deo dicenti velle populum suum peste consumere: *Periam igitur eos pestilentia, atque consumam*; Moyses quidem respondit, quod si id faceret, ansam praerebet Aegyptiis, ut dicerent: *Non poterat introducere populum in terram, pro qua iuraverat, idcirco occidit eos in solitudine*: quo audito, licet aliquin illud minime Deus ignoraret, continuo ad exemplum nostrum pepercit populo suo, et avertit malum, quod ei minatus fuerat facere: si ergo Deus ipse cavet, ne quidquam Aegyptii contra illum dicerent, in misericordiae vaginam misit; quanto, quaeso, maiori cura nobis, et maxime Deo dicatis virginibus, cavendum erit, ne corporis levitatem, esse immodestiam, licentiosam loquelam, aut inordinatam vivendi rationem, detrahendi occasione observantibus illas temere praebemus?

His tantis adminiculis clausurae, verecundiae, ac vitandi otii sollicitudinis, aliisque similibus, quae longum esset periculis, et prolixius pertractare, indiget fulciri virginitas, ne virginis pudicitiae suae iacturam misere patiantur: cuius cum potissimum arbitror rationem, quod ut unanimum consensu sancti Patres testantur, multo difficilior sit contra Venerem, quam contra Martem victoria, et ideo pluribus indiget adiumentis, et subsidiis: unde d. Augustinus (*lib. de ag. christ.*) ait: *Inter omnia christianorum tormenta duriora sunt praecia castitatis, ubi continua pugna, et rara victoria*: idem etiam Augustinus (*de verb. Dom. serm. 43.*): *Optaremus, inquit, ut nullae sint concupiscentiae, sed non possumus; velimus, nolimus, habemus illas: titillant, blandiuntur, stimulant, surgere volunt, premunt*: id ipse salis expertus ingenue fateatur (*lib. 8. Conf. cap. 7.*), quod quando divina inspiratio animum eius pulsabat, ut christianae militiae nomen suum daret, nihil magis conversionem eius retardabat, quam quod caste vivere deberet. Sed attendamus, quid in hoc genere argumenti dicat d. Hieronymus. Certe epistola ad matrem, et filiam in Gallia commorantes, dixit: *Ferreas mentes libido domat*: et (*epist. ad Nepot.*), quae incipit, *Petis a me*, haec scribit: *Vide, ne sub eodem tecto invaseris, nec in praetertia castitate confidas, nec Samsonis sortior, nec Salomonis sapientior esse potes*: memento mulier, quod paradisi colorem de possessione sua mulier eiecit: in epistola etiam ad Amandum de quaestionibus novi testamenti observavit acute, facilius conteri peccatorem de aliis peccatis, ut de homicidio, perituro, et similibus, quam de libidine: cuius reddens rationem, inquit: *Sola vero voluptas, ac libido etiam in ipso tempore poenitentis praeteritos stimulos patitur, et per haec, quae cupimus, cogitantes, rursus fit materia delinquendi*. Saepe enim contingit, ut dum venera crimina in confessione aperire parati, memoria evolvimus, veneris laqueis iterum irretiamur. Ipse etiam d. Hieronymus (*lib. epist.*) hanc difficultatem praesentiens, ab omni humano consortio sequestratus, et velut alter Paulus,

corpus suum castigans, et in servitute redigens, tot carnis stimulis agitabatur, ut diceret: *Putabam me Romanorum interesse deliciis, et stecia animi carne praemortua, sola incendia carnis bullebant*: haec d. Hieronymus. Audiamus nunc sanctum Ambrosium (*lib. de David*) dicentem: *Samson validus, et fortis leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit; vincula solvit hostium, sed suarum non solvit necus voluptatum; menses incendit alienas, sed unius ipse mulieris accensus igniculo, messem suae fortitudinis amisit*: ipse etiam (*lib. 4. super Lucam cap. 4.*) ad difficultatem hanc magis ostendam narrat, quod cum quidam infirmus a medicis moneretur, certo visum fore amissurum, si a matrimonii usu non se abstineret; ille rei difficultate perterritus, medicorum consilium respiciens, continuo in haec verba prorupit: *Vade amicum tuum! eligens magis Veneri vacare, quam visum conservare*. Sed iam ad idem accedat d. Bernardus (*super Cant.*) dicens: *Quantumvis in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, et non magis suppressa; velis, nolis, intra fines tuos habitat Iebusens: subigari potest, non exterminari*. Accedit etiam d. Cyrillus (*cate. 12.*) dicens: *Non ignoramus castitatis gloriam; angelica enim est corona, et supra hominem est haec perfectio: similia dicit Cassianus (*lib. 6. c. 6.*): *Ultra naturam est, carne circumdatum carnis acules non sentire*. Ac tandem, praeter quotidianam experientiam, quae non sine ingenti animi nostri detrimento in vincendis carnis illecebri miram difficultatem palam facit, id quod Lucas evangelista (*cap. 4*) narrat, nimirum, inter omnes illos ad coenam invitatos, nullum licentiosum ab ea se excusasse, quam qui uxorem duxerat, satis illam ostentat; quidam enim dixit: *Villam emi, habe me excusatum*: aliter iuga boum emi, et eo probare illo; qui vero coningem accepit, liberius: *uxorem duxi, non possum venire*: ecce nullus illorum, praeter istum, impotentiam allegavit, quo aperitissime significavit difficultatem, quam in abstinentia a carnis deliciis praesentebat, ingeniem adeo esse, ut eam impotentiam vocare non dubitaret: *uxorem duxi, non possum venire*. Exstat ad idem Christi Domini testimonium, omni exceptione maius, dum per Matthaeum (c. 19) de virginibus loquens, dixit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est: qui potest capere, capiat*; in quae verba d. Hieronymus (*super c. 19. Matth.*) dixit: *Nemo autem putet sub hoc verbo; sed quibus datum est, fatum, et fortunam introduci, sed iis datum esse a Deo, qui petierunt, qui voluerunt, qui acciperent, laboraverunt*. Hae etiam facit, quod de matre fortissimi illius ducis Achillis varii commemorant auctores, quae cum quodam liquoze vellet corpus eius innungere, ut illud libiduraret, et contra adversariorum tela robustius redderet, solum renes ubi libido domabat, absque unctione praetermissa, significans in hunc humanam industriam ad vincenda carnis incentiva minime sibi sufficere posse: haec enim sanctissimos quoque viros non semel superaverunt, ut auctor est, et testis d. Bonaventura, qui in quodam suorum opusculorum ait: *Sermo rigidus, et brevis cum mulieribus est adhibendus*;*

ne tamen quia sanctiores, eo minus periculosiores, quo enim sanctiores sunt, eo magis allicunt sub praetextu blandi sermonis, et immittent se vitis impissimae libidinis. Episcopus sum, in Christo loquor, crede mihi, quia non mentior: vidi cedras Libani, idest magnae contemplationis viros, et magnos praefatos Ecclesiae sub hoc specie corruisse: vidi de quorum casu non magis praesumebam, quam de Hieronymo, et Ambrosio. Atque hoc idem putant nonnulli significare voluisse antiquos astrologos, dum Libram, et Taurum constituunt Veneris domum, cum enim Libra iustitiae, Taurus fortitudinis symbolum sit, non obscure indicantur, quandoque Venerem iustos, ac fortissimos viros superasse, et tamquam in propria domo diu in eis habitasse.

Quamvis autem haec difficultas in superando infestissimo libidinis hoste per totum genus humanum grassetur: quia, ut inquit d. Paulus (2. Cor. 4.): *Habemus thesaurum in vasis fictilibus*; vasa autem fictilia exigua, ac modicum vim habent ad resistendum: illa tamen magis viget in virginibus, tum propter maiorem sexus imbecillitatem; tum quia, ut d. Hieronymus (lib. de vit. susce. contub.) tam eleganter, quam vere dixit: *Libido in virginibus maiorem fauorem patitur, dum dulcius esse putatur, quod nascitur: nude oportet eas viriliter contra carnis illecebras pugnare, nisi velint ab eis facile superari; quod non obscure indicat verba Exodi (c. 39.): nam ubi nostra Vulgata ait: Virgines in ostio tabernaculi excoebasse, hebraeorum originale habet: In ostio tabernaculi militasse; quod lectioni consentanea sunt verba illa Cantiorum (c. 7.): Quid videbis in Sumanite, nisi choros castrorum?* Inaudita sane copulatio castrorum cum choris: nam in castris pugnantur, in choris cantatur; in castris sanguis hominum spargitur, in choris oratio ad Deum effunditur; in castris tubae ad provocandos militum animos audiuntur, in choris psalterii, et organa voces sursum corda ferentes personant; quid igitur choris cum castris? multum per omnem modum, quia virgo Deo dicata instar chori divinas laudes in ore semper gerere, et instar castrorum militariis armis inimicae carnis petulantiam confuso retinere debet: ad quod sane alludens d. Ambrosius (lib. 1. de virgine.) pulchre dixit: *Quid de virginibus Bononiensibus loquar foecundo pudoris agmine, quae relicto parentum hospio, tendunt in tabernaculis Christi: indefessae milites castitatis, nunc canticis spiritualibus personant, nunc victuum operibus exercent: quia vero in castris arma spiritualia, non specula necessaria sunt, idcirco foeminae illae militantes, quas nuper dicebam, non abs re vitrea specula abiectionis dicuntur; in hac enim virginum milita non splendida specula ad ornatum, sed orationis, ieiunii, ac vigiliarum fulgentissima arma ad carnis lasciviam expugnandam desiderantur.*

Tandem haec difficultatem duo mihi videntur mirum in modum augere. Primum est, quod caro, adversus quam bellum geritur, prae nimia sua sagacitate mille stratagemata ad expugnandam animam excogitat, ut egregie docuit fabulosa illa Ovidii narratio, fingentis, acrem fuisse exortam pugnam inter Acheloo, et Her-

cleum supremi deorum filium; at videns Acheloo se infirmum, ac debilem esse, implens illud Proverbum: *Ubi non est fortitudo leonina, supplet industria vulpina*, variis incantationibus utens, in serpentem se convertens Herculem invasit; sed victus Acheloo, ferocissimum tauri naturam assumpsit, et sic iterum cum illo congregiens, acerrime, ultra quam dici possit, cum illo pugnavit: non dissimiliter in pugna illa spiritali inter corpus et animam, de qua d. Paulus (Galat. 5.): *Caro concupiscit adversus spiritum*: qui merito filius supremi deorum vocari meretur, iuxta illud eiusdem Apostoli (Act. 17.): *Ipsius enim et genus sumus*: appetitus sensitivus varias formas, instar Acheloo, induens, nunc, ut tortuosus coluber, innumeris insidiis parat, nunc velut taurus exandescit, et fremit, ut spiritum expugnans, carni inservire faciat: ecce non potest ex tanta huius hostis astutia, et sagacitate, non ardua valde, ac perdifficilis reddi eius victoria. Secundum, quod eandem difficultatem aperissime demonstrat, illud est, quod in hoc spiritali bello non pugnat totus homo: certe cum miles adversus alium militem insurgit, totus miles pugnat, spiritus, caro, pedes, brachia, manus, femora, crura, et pedes pugnant; in hoc autem duello non totus homo, sed una eius pars, scilicet spiritus, pugnat adversus carnem, ad cuius latus innumerae sunt hostium legiones adversus spiritum auxilium ei ferentes: si enim pulchram mulierem intuearis, agmina inimicorum confestim tecum pugnare incipiunt; pugnat decus frontis, venustas oculorum, pulchritudo vultus, rubicundum genarum, flavus color capillorum, caput exornatum, ubi tamquam e sublimi arce tot te hostes propugnant, quot capitulis sunt capilla. Quis autem non videat, unus pugnantis adversus pene infinitos hostes victoriam esse difficillimam, immo et solis naturae viribus impossibilem?

Verum, cum hucusque difficultatem libidinem superandi plane ostenderit, remedia operis est, ad illam vincendam adhibeamus: alii alia praestabunt; ego vero, quia argumentum hoc alibi fusiis pertractandum fuit, tria laconice, ut aiunt, stylo perstringam. Primum, et a Patribus saepe inculcatum est, fuga ad hominum consortio: praecipue tamen D. Hieronymus illud docuit (in epist. ad Eustoch.), ubi virginum alloquens, haec aurea verba scripsit: *Viri cuiuscumque status, etsi cum sanctitas exornet, etiamsi Ioanni Baptistae aequaretur in meritis, quaeratis effugere faciem, nec licet secum dilectione ferventi adstringi, credatis caperit; nihil omnino est periculosius viro, quam mulier, et mulieri, quam vir; uterque palei, uterque ignis, dicam audacter, prob. dolor! Dei templi, Spiritus sancti vasa, et Deo dicata aedificia, nisi diligentissima serrentur custodia, protubula sunt, et auferunt tam nobile depositum, tam pretiosus thesaurus, irrecuperabile decus castitatis. Omni igitur custodia servetur cor, super muros Ierusalem ponantur custodes, tota die, ac nocte non dormiant, ne fur introcat, ne spolia auferat, quae penitus recuperari non possunt; haec ille. Ad hanc eandem cautulam habendam exhortans d. Augustinus Rusticum, ait:*

*Mater tuam ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo haerent; ancillas, quae tibi sunt, tibi scias esse in insidiis, quia quanto citius carum conditio est, tanto facitior ruina est: ecce Patres ad virginitatem conservandam fagum consulunt, et labendi occasione penitus reserare moment. In cuius figuram lego (lib. 2. Reg. cap. 5) quod, cum David a Deo seiscitaretur, quomodo expugnaret Philisthaeos, responsum accepit ne facie ad faciem illos invaderet, sed a tergo in exercitum illorum irrupere moliretur. Sed videtur fortasse alieni, non esse hoc honorificum genus hostem devincendi: nam, ut refert Plutarchus (in suis Apophlegm.), admonitus Alexander magnus, non posse aliter urbem quandam, quam sibi subingere cupiebat, debellari, nisi nocturno tempore illam ingrederetur, cum eius somno vacarent; respondit, se minime id facturum, quia non venerat velut latro ad furandam victoriam, sed ut fortissimus dux ad illam de hostibus acriter pugnantibus gloriose reportandam; non diffiteor, id honorificum esse in temporalibus pugna, ac longe diversum iudicium ferendum est in pugna spiritali adversus carnem, et sanguinem: consulens enim Deus Davidem, ne Philisthaeos facie ad faciem aggrediret, sed a tergo eos expugnaret, significavit aperte carnem, et sanguinem non aliter melius vinci, quam si eorum faciem fugiamus. Arbitror etiam simili significasse, in Veneris peccatis non esse aspiciendam faciem, hoc est, principium illorum, voluptatis dulcedinem praefertens, sed aspiciendum potius tergum, hoc est, finem eorum, dolorem scilicet, et fastidium, quod ingerunt, et grave vulnus, quod animae inferunt. Ad haec, Christum Dominum observavit d. Athanasius (hom. 56) exemplo suo nos docuisse, fugam, et cautulam praesentissima remedia esse ad castitatem conservandam: nam praeterquam rarus erat sermo illius cum foeminis, ut patet ex testimonio Ioannis (c. 5) dicentis, quod discipuli videntes eum cum Samaritana sermonem inisse, *Mirabantur, quod cum muliere loqueretur*, quasi rem novam, et inusitatam intuerent; praeter hoc, inquam, d. Athanasius (hom. 56) versans illa Christi Domini verba ad Magdalenam, *Noli me tangere*, ait, capropter tactum illi prohibuisse, quia solus, et sine lesione aderat: unde, cum illa postea venit cum aliis, osculum, et tactum postum non interdidit, ut Evangelista testatur: id sane fecit Christus, non ut in se, qui impeccabilis erat, alicuius mali periculum praecaveret, sed ut exemplo suo nos edoceret, in hac materia nisi prolabi magis placeat, et cautus esse, et fugam arripere nos oportere.*

Secundum remedium ad hunc hostem vincendum timor est supplicii, quo id genus peccati non semel Deus divinae irae hastam vibrans acriter punire consuevit; propter illud namque universam terram copioso illo aquarum diluvio inundavit; propter illud super quinque civitates misit de coelo fulgura, et ignem voracissimum, brevi tempore illas absumens; propter illud Ruben maledictio patris sui graviter torsit; propter illud insignem civitatem Sichem, et fere totam tribum Beniam-

in devastavit; propter illud subitanea morte Onan interemit, Amnon interfecit, Sara maritum suffocavit, falsos senes in Sasonam lascivientes capite muleavit; Davidem, et Salomonem variis plagis affecit; ac tandem propter illud eodem die viginti tria hominum militia populi israelitici enecavit: et quidem si empta supplicia, quibus in hoc vitii genus divina iustitia animadvertit, recensere vellem, tempus mihi potius, quam materia deficeret: quare Veneris cullores solum cum d. Paulo (Rom. 7) interrogabo: *Quem fructum habuisti in illis; in quibus nunc erubescitis? quoniam finis illorum mors est: nullum alium fructum poterunt se accipere, quam quod in hac vita inferni tormenta experiri coeperint: nam si castitas coelum est, luxuria infernus est; consequentiam hanc et formal, et probat d. Bonaventura (in diet. 4. de luxur. c. 9): quia, sicut tria in inferno vehementer exercentur, ignis, vermis, et foetor; sic in libidinis peccato haec tria gravem molestiam inferunt; ignis ardens concupiscentiae, quae exurit; vermis conscientiae, qui mordet; foetor infamiae, qui honorem denigrat: hi quidem merito sibi asserere poterunt verba illa Rebeccae, dolentis se concepsisse (Gen. 25): *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* si momentanea delectatio tam graves exsolvit poenas, quid opus erat Veneri vacasse, et cum tam certo animi, et corporis discrimine carnem voluptatibus indulisise?*

Tertium denique remedium ad hunc hostem vincendum non parvi momenti esse putaverim, si virginem, ut viriliter pugnet, victoriae suae immarecibilem coronam, ac coelestis patriae praemium illud (Apo. 2), Vincenti dabo manna absconditum, sibi ob oculos proponant. In cuius figuram sacra narrat eloquia, quod, ut Deus filius Israel pugnam adversus hostes suos suscipiendam suaderet, futurum praemium illis proposuit in haec verba (Deut. 6): *Dabo vobis terram lacte, et melle manantem*: hoc est, terram fecundissimam, uberrimam, et bonis omnibus temporalibus affluentem: hic est cortex, liliensis sensus horum verborum; at si spiritus eorum medallam sugere cupimus, arbitror illis verbis significare voluisse, non aliter illos ad promissae terrae dulcedinem perventuros, quam per laboris, et pugnae amaritudinem: sicut enim candidum lacte prius est erantibus sanguis, ut medici docent; et dulces mel ex amarissimis, et insipidis floribus conficitur; non secus usque ad sanguinem, si opus fuerit, resistere oportet virginem, et per mortificationis amaritudinem transire, si coelestis beatitudinis suavissimo lacte, dulcissimoque melle perfrui desiderant. Narrat Rosinus (de Antiquitat. lib. 3. cap. 19), quod iuxta ianuam domus deae Vestae, ubi virginem Vestales suam virginatatem ei dicebant, aderat arbor, nomine *Lathos*, quam oblivionis arborem vocabant, et ex qua illae capillos de capite suo praecisus pendebant, nude ortum habuit proverbium illud antiquum: *Lathos capillata*: quam egregie quidam poetaur descripsit:

Ut quondam Vestae scindebant sacra capillos;
In viridem iactans, virgo dicanda, . . .

Erat autem arbor haec aspera, ac sentibus plena, ut auctor est Polybius (*lib. 12*); fructus vero illius dulcissimus: unde originem sumpsit Homeri, et Ovidii fabula, qui finxerunt, Ulyssis socios, cum primum illius arboris dulcem fructum degustarent, patriam, amicos, ac reliqua omnia oblivioni tradidisse; unde Alcianus (*embl. 14*) cecinit:

Sic Ithacum praemissa manu dulcedine Lothi
Liquerat, et patriam liquerat atque duces:

ecce ethnici etiam homines solo lumine naturae ducti, fere omnia, quae hucusque diximus, facitabant. Sub quibus sane mira virginibus traduntur documenta. Imprimis ad ianuam templi Vestales virgines capillos scindebant, eosque super arborem *Lothos*, arborem, inquam, oblivionis, proiciebant, quo genere ritus docebantur, quaecumque mundi pulchra, et grata sunt, honores, divitias, parentes, et cognatos perpetuae oblivioni commendare debere. Hoc quid aliud erat, nisi quod David (*Psal. 44*) singulis virginibus suadet: *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum?* Cum etiam antiqui, virgines illas Vestales intra domum deae Vestae simul habitare praecipiebant, clausuram virginibus omnino necessariam aperte docebant: quod vero arbor illa *Lothos* talis naturae esset, et spinis, ac sentibus esset plena, fructus vero gutturi dulcissimus, non obscure

significabat, oportere virgines, ut lauream virginitalis suae suavissimum fructum degustent, prius per difficultatum sentes, spinas, ac vepres, quas ad virginitalis custodiam superare opus est, viriliter pertranseant. Vel dicamus aliter, arborem illam *Lothos* arborem crucis delineare, glavorum sentibus plenam, cuius fructus suavissimus est animae esurientis, ut testatur sponsa (*Cant. 2*): *Et fructus eius dulcis gutturi meo*: ab hac arbore suspendunt sacrae virgines in templo dicatae capillos cogitationum suarum, in Christum solum fructum illius, cogitationum suam iactantes, ut ab illo enutriantur, iuxta illud Davidis (*Psal. 54*): *Iacta cogitationum tuam in Domino, et ipse te enutriet*: ex hac item arbore suspendunt sacrae virgines, velut Israelitae, in salicibus organa sua, hoc est delicias, divitias, et honores, quibus perpetuo privari, amore Christi, eligunt: in hoc Ulyssis sociis dissimiles valde, qui, ut narrat Homerus (*odysseae 9*), et Ovidius (*9. Metamorph.*) cum arbori illi *Lothos* adhaerentes, ab ea separari nollent, tandem flagellis lacerati, ab ea discedere compulsi sunt: longe aliter sacrae virgines Catharina, Agnes, Agatha, Caecilia, Lucia effecerunt, quae virgatum flagellis caesae, ferreis unguibus confectae, ac variis tormentorum generibus confectae, a crucis arbore, et a Christo eius fructu nec per momentum dimoveri potuerunt. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

DE SACRIS ARCANIS

DESPONSATIONIS B. VIRGINIS

NEC NON DE EXIMIIS LAUDIBUS DILECTISSIMI EIUS SPONSI D. IOSEPHI

LIBER QUARTUS

HOMILIA PRIMA HISTORICA.

Desponsationis Virginis cum castissimo Iosepho dulcissimam historiam antiquorum Patrum testimoniis stabilimus, eorumque matrimonium inter hos sacros sponso exitissime apertissime comprobamus; ac tandem de aetate, in qua illi sponsalitia inierunt, disserimus.

Antequam Patrum testimonia de Virginis desponsatione proferam, antiquissimi Niceaphori, celeberrimi historiographi, verba in medium producam: sic enim ait (*lib. 1. cap. 7*): Postquam adolevit Virgo, consilium sacerdotes agitarunt, quid de ea staterent, ne in sacrum eius corpus admittere quidquam viderentur: sacrilegium namque prorsus se commissuros putabant, si viro eam coniungerent, atque in servitum conjugalis legis redigerent, quae semel Deo dicata esset. E diverso autem puellam eo aetatis flore in sacratore templo versari, nec permissum lege putabant, nec rem satis honestam, et decoram esse videbant. Saepe itaque, et multum re deliberata, dicentibus eis per inspirationem ostenditur, ut eam alicui, qui ad templum sedulo esset, sponsae nomine committerent; eum vero talem esse debere, cui recte virginitalis custodia demandaretur. Porro non alius Iosepho visus est magis idoneus ad sponsaliorum coniunctionem contrahendum, quippe qui propinquitate generis eam contingeret; eiusdem enim tribus erant: insuper cetero et senio, et honestate morum iam pridem bonae fidei existimationem consequutus esset; haec ille. His de Mariana cum Iosepho desponsatione consentiunt gravissimi Patres: d. Gregorius Nysenus (*in or. de nat.*) ex arcana historia dicit: Cum crevisset, et adulta esset, consilium sacerdotes agitarunt, ne quid de sacro illo corpore statuerent, in Deum peccarent: nam subigere eam legi naturae, et addicere quasi servam, si quis eam in matrimonium duceret, res longe ab-

surdissima, minimeque decora videtur; sacrilegium enim prorsus existimabatur, si homo ius, ac potestatem in donarium, quod Deo consecratum ac dedicatum esset, haberet; quoniam legis sancitum est, ut vir potestatem habeat in uocem: ut autem intra templum una cum sacerdotibus mulier rertaretur, et in sanctis conspiceretur, neque consuetum, nec usitatum erat, et simul grauitas, et honestas rei non aderat. Deliberantibus igitur eis super hac re, divinitus incedit consilium, ut darent eam euidam viro nomine desponsationis; is autem ad cotidendam virginitalatem eius idoneus esset. Inventus est igitur d. Ioseph talis, qualem ratio consilii requirebat, ex eadem cum Virgine familia, ac tribu; isque de consilio sacerdotum sibi puellam despondit: coniunctio autem non ultra sponsalitia progrediebatur; haec ille. Sed et d. Damascenus (*orat. 1. de dormit. Virg.*) ait: Cum Virgo ad aetatis florem iam perveniret, atque intra templi septa manere lege prohiberetur, sponso, hoc est, virginitalis custodi, Iosepho a sacerdote choro traditur, qui quidem integram, et inviolatam legem ad senectutem usque, si cum alicui conferatur, servaverat. His accedit d. Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus de oblatione Virginis in templo, eodem dicens.

Quodnam autem fuerit hoc consilium, quaeve sors ad Iosephi electionem in sponsam Virginis, his verbis enarrat d. Hieronymus, vel quicumque alius auctor fuerit libri de ortu Virginis: Pontifex publice denunciabat, ut virginis, quae in templo constituebatur, ut aetatis tempus implerent, domum recerterent, et nuptias secundum morem gentis, et aetatis natiuitatem, operam darent. Cui mandato, cum ceterae paruisset, sola Virgo hoc se facere non posse respondit, dicens, se quidem, et parentes suos Domini servitio mancipasse, et insuper seipsum Domino virginitalatem rovisse. Tunc Pontifex praecipit, ut ad festivitatem, quae imminet, omnes ex Hierosolymis, et vicinis locis primores adessent, quorum consilio scire posset, quid de tam dubia re faciendum esset. Omnibus in